



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. Quenam præterea statuta circa donationem propter nuptias in hoc
Titulo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ditiones videri possunt ad hanc confirmationem requisitæ. Tertio confirmantur etiam per mortem civilem donantis, prout videre est apud Civilistas.

§. IV.

Quanam præterea statuta sunt circa donationem propter nuptias in hoc Titulo.

Donata propter nuptias à marito uxori, si postea ob impedimentum dirimens matrimonium reperitur nullum, restitui marito debent, cum nec dos, nec donatio propter nuptias in tali casu nullius matrimonij locum habeat. *Et si necesse sit §. h. e.* Videatur etiam *e. Nuper §. h. e.* ubi quaeritur, quantum, & quid de Terra, cujus usum fructum quis habet, aut, quæ in feudum ipsi concessa est, uxori suæ in dotem, aut donationem propter nuptias dare possit.

§. V.

De restitutione Dotis.

Si matrimonium ex licita causa, & sine culpa uxoris separatum fuit, dos est restituenda uxori, ut habetur in *e. Mulieres §. h. e.* cum enim dos sit accessoria matrimonio, vel certe ad sustinenda matrimonij onera detur, in tali autem casu vel nullum sit matrimonium, ob impedimentum dirimens, vel saltem quoad thorum & cohabitationem separatum sit, consequenter vel nullus erit locus dotis constituendæ, vel nullaneccitas, sed in priore casu nullius matrimonij tota dos uxori restituenda est, & in casu posteriore divortij facti, restitui debet, quantum à marito commodè potest. Quod si tamen scienter cum im-

pedimento dirimente contrahere tentaverunt, in pœnam taliter attentati matrimonij fisco dos acquiritur. Quin imò dissoluto per divortium matrimonio, omnia etiam bona seu lucra, quæ constante matrimonio communiter utrique parti acquisita fuerunt, ex donatione v. g. ex hæreditate, de legato, utrique communiter factis, per emptionem ex communibus utriusque bonis factam &c. æqualiter inter eos dividenda sunt *e. Significavit §. h. e.* (cum matrimonium sit consortium omnis vitæ & Divini ac humani juris communicatio) nisi consuetudo loci aliud jubeat, aut respectu uxoris turpis quæstus præsumptio.

Judex tamen Ecclesiasticus, qui cognovit de matrimonio, potest & debet etiam simul de dote cognoscere *e. de prebentia §. h. e.* Quamvis enim dotis causa in se sit merè secularis, & inter personas Laicas ad sæculares Judices pertineat, si principaliter de ea agatur, si tamen incidenter tantum de ea agatur, & accessoriè dependenter à valore matrimonij, potest etiam Iudex Ecclesiasticus, qui de matrimonio cognovit, de dote cognoscere, & solutionem aut restitutionem illius præcipere.

§. VI.

De amissione dotis propter adulterium uxoris.

Amittere mulierem propter adulterium dotem, & donationem propter nuptias, vel ejus pretium, ac æstimationem, eaque post sententiã Judicis virum lucrari ex *e. Plerumque §. h. e.* probatur, quamvis putativum tantum

VVVV ;

matri-